

TITI LIVII PATAVINI HISTORIOGRAFI EXCELLENTISIMI DE BELLO MACEDONICO LIBER PRIMUS INCIPIT

[M]E quoque iuvat velut ipse in parte laboris ac periculi fuerim ad finem belli punici pervenisse. Nam et si profiteri ausum perscripturum res omnes romanas in partibus singulis tanti operis fatigari minime conveniat, tamen cum in mentem venit tres et sexaginta annos tot enim sunt a primo punico ad secundum bellum finitum, aeque multa volumina occupasse mihi quam occupaverint quadringentis septuaginta octo anni a condita urbe ad appium claudium consulem qui primum bellum carthaginiensibus intulit. Ap. claudius

Iam provideo animo velut qui proximis litori vadis inducti mare pedibus ingrediuntur, quicquid progredior in vastiorem me altitudinem ac velut profundum invehi et crescere pene opus quod prima quaeque perficiendo minui videbatur. Pacem punicam bellum macedonicum excepit periculo haudquaquam comparandum aut virtute ducis aut militum robore, claritate regum antiquorum vetustaque fama gentis et magnitudine imperii, quo multam quondam europae maiorem partem asie obtinuerant, armis prope nobilius. Ceterum coeptum bellum adversus philippum decem ferme ante annis triennio Philippus prius depositum erat cum etolis et belli et pacis fuissent causa. Vacuos deinde pace punica romanos et infensos philippo cum ob etolis adversus etolos aliosque regionis eiusdem socios pacem, tum ob auxilia cum pecunia nuper in africam missa hannibali penisque preces atheniensium quos agro pervastato in urbem compulerat, excitaverunt ad renovandum bellum. Sub idem fere tempus et ab attalo rege et Attalus rex rhodiis legati venerunt nunciantes asie quoque civitates sollicitari. His legationibus responsum est curae asie rem senatui fore. Consultatio de macedonico bello integra ad consules qui tunc in provinciis erant remissa est. Interim ad ptolemeum egypti regem legati tres Ptolemeus rex missi C. claudius nero, M. emilius lepidus, P. sempronius tuditanus ut nunciarent victum hannibalem penosque et gratias agerent

Cod. CXXXVII (125), c. 3r